444

444
E 18

E

18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

MicroChemie Bleichemie KB
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

Kw 444 E 18
16.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
TRADITIONE.

QUAM

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. FRIDERICI SPANHEMII, Fil. S.S.Th. Doctoris, Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academiâ Lugd. Bat. ut & Antiquitatis Eccleſiaſticæ, Profeſſ. Primarii, Eccleſiaſtæ diſertiſſimi, Acad. Bibliothecarii,

NEC NON

Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

JOANNES BOGAERT, Delph. Bat.

Ad diem 15 *Aprilis, horâ, locoque ſolitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

Conſultiſſimo, Graviſſimo, Ampliſſimo

VIRO

D. D. ANDREÆ BOGAERT,

J. U. D. Toparchæ Alblaſſerdamenſi, parenti ſuo ad rogum uſque omni non tantum officio, ſed pietate colendo.

NEC NON

Clariſſimo & Doctiſſimo Viro

D. JOANNI VERWEY,

Gymnaſii Hagenſis Inſpectori, nec non Linguarum, Eloquentiæ & Hiſtoriæ Lectori, ex affinitate Patruo plurimum colendo.

Debitâ cum reverentiâ diſputationem hancce Juridicam

Offert

JOANNES BOGAERT,

Auctor.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

DE

TRADITIONE.

THESIS I.

Dominia rerum quæ in naturali ſtatu communionis adhuc ſunt, ſola apprehenſione acquiruntur *l. 1. §. 1. D. de adquir. vel amitt. poſſ.* quod enim ante nullius fuit, id naturali ratione occupanti conceditur *§.13. Inſtit. de rerum diviſ.* At poſteaquam res ſemel alicui acquiſitæ ſunt, non poſſunt ſine illius facto ad alium transferri *l. 11. de reg. juris.* nec jura ſinunt alicui jus ſuum detrahi *§. 2. Inſtit. de his qui ſunt ſui vel alieni juris.* Inter illa vero facta &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

modos, quibus dominium rerum quæ penes alios ſunt, jure gentium in nos transfertur, non poſtremum ſibi locum vindicat traditio; de qua paucis in hac diſputatione agere conſtitui, & quidem hac methodo; ut primum definiam quid ſit traditio. 2. quotuplex. 3. proponam varios traditionis effectus. 4. quænam requirantur ad transferendum per traditionem dominium. 5. caſus quibus ſine traditione dominium tranfertur.

II.

Traditio à *tradendo*, vel, ut veteres loquebantur, *tranſdendo*, dicta, nihil aliud eſt, quam *rei corporalis in alium tranſlatio.*

Dico *tranſlatio*, quod verbum ſatis indicat nos traditionem ita intelligere, ut illam debeat ſequi acceptatio, ſine qua non poteſt aliquid dici transferri. Dico *rei corporalis*, rerum enim incorporalium nulla eſt traditio. *l. ult. D. de ſervit. l.* 3. §. 2. *de act. empt. fac.* §. 40. *de rer. diviſ.* ibi *corporalis*, ſed in iis vice traditionis eſt uſus vel cautio *d. l. ult. d. de l.* 3. §. 2.

III.

Videndum jam quotuplex traditio ſit, eſt autem duplex, alia vera, alia quaſi traditio.

Vera eſt, quæ naturaliter & corporaliter fit, ut cum res mobilis de manu in manum transfertur, vel cum quis inducitur in poſſeſſionem rei immobilis, atque ita illam corpore ſuo apprehendit *l.* 3. §. 1. & 2. *de adquir. vel amitt. poſſ.* Quaſi traditio eſt, qua id, quod revera non eſt traditum, fingitur tamen traditum; quod fit vel fictione ſola, nullo accedente ſigno vel ſymbolo, vel eo accedente.

Fictione ſola res, quæ vere non eſt tradita, pro tradita tamen habetur variis caſibus, ut cum quis rem ex alia cauſſa

jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

jam ante apprehendit, & illa apprehenſio deinde etiam ad aliud negotium accommodatur, atque ita una traditio habetur pro duplici; quam fictionem brevis manus appellant; V. G. ſi rem quam tibi commodavi, vel apud te depoſui, poſtea tibi vendidero, aut donavero, aut dotis nomine dedero; quamvis enim ex poſteriori cauſſa tibi non tradidero, tamen eo ipſo, quod patior eam tuam eſſe, proprietas ſtatim tibi adquiritur perinde ac ſi eam tibi rurſus tradidiſſem, verba ſunt. *§. 43. Inſt. d. rerum diviſ. l. 9. §. 5. D. de adquir. rerum dom.* Brevis manus fictione etiam tibi tradere fingor, cum is qui mihi erat traditurus tibi rem mandato meo tradit *l. 15. D. d. reb. cred. l. 3. §. pen. & ult. D. d. donat. vir. & uxor.* Fingitur & lapis traditus, quem quis alicui permiſit eximere de ſuo, ſimulatque is exemtus eſt *l. 6. D. d. donat.* Præterea fingitur res tradita, quam primo quidem nobis poſſedimus, ſed deinde ab eo, in quem tranſlatam volumus, conducimus, atque ita ipſius nomine poſſidere conſtituimus, quo caſu quaſi per nos ipſos adquirimus alteri poſſeſſionem *l. 18. in princ. d. adq. & amitt. poſſ. l. 77. d. rei vind.* Sic etiam tradidiſſe fingimur rem, quando in donando, vel vendendo, vel in dotem dando, ejus uſumfructum nobis retinemus *l. 28. C. d. donat.* Eſt etiam ſpecies fictæ traditionis in ſocietate omnium fortunarum, de qua dicunt Juriſconſulti, in ea omnes res, quæ coëuntium ſunt, continuo communicari; quia, licet ſpecialiter traditio non interveniat, tacita tamen creditur intervenire *l. 1. §. 1. l. 2. D. pro ſocio.* Fit inſuper & traditio per fictionem longæ manus, ut cum rem, quam volo tibi eſſe traditam, tuo juſſu pono in tuo conſpectu *l. 79. D. de ſolut. l. 18. §. 2. l. 1. §. 21. de adquir. vel amitt. poſſ.* Quo caſu oculis & affectu poſſeſſio videtur apprehendi *d. l. 1. §. 21.* Idem erit ſi rem præſentem tibi demonſtro eamque me tibi tradere dico *l. 18. §. 2. d. adq. vel amitt. poſſ.* Huc etiam refertur caſus, quo rem trado famulo vel tabellario tuo *l. 65. in princ. d. adq. rerum dom.* Accedente ſigno vel ſymbolo quaſi traditio fit, ut cum loco mercium in horreo conditarum claves horrei traduntur *§. 44. Inſt. d. rerum diviſ. l. 9. §. 6. D. d. A. R. D.* modo id fiat apud ipſa horrea *l. 74. d. contr. empt. l. 1. §. 21. D. d. adq. vel amitt. poſſ.* Sic traditio inſtrumentorum emptionis rei alicujus eſt vice tra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

traditionis ipſius rei *l.* 1. *C. d. donat.* Huc ſpectat & obſignatio trabium, doliorum & ſimilium, quæ etiam loco traditionis eſt *l.* 14. *D. d. peric. & comm. rei vend.* Modo id agatur, ut res pro traditis habeantur: fit enim etiam hæc obſignatio in hunc finem, ne res ſummutentur. Eodem juxta nonnullos pertinet appoſitio cuſtodis permiſſu domini *l.* 51. *D. d. adq. vel amitt. poſſ.*

I V.

Traditionis vero effectus non is eſt, ut ſemper transferat dominium; ad hoc enim præter alia id imprimis requiritur, ut juſta adſit cauſſa; nuda enim traditio, i. e. quæ non fit ex cauſſa ad transferendum dominium idonea, nunquam transfert dominium. *l.* 31. *D. d. A. R. D.* Hinc qui rem apud alium deponit, ejus & dominium & poſſeſſionem retinet *l.* 17. §. 1. *depoſ.* depoſitarius illam tantum cuſtodit *l.* 1. *D. depoſiti.* qui rem utendam tradit, nec dominium, nec poſſeſſionem transfert *l.* 8, 9. *D. commodati.* ſed jus utendi tantummodo. ita nec traditio ex cauſſa locationis dominium transfert *l.* 39. *D. locat.* nec rei pignori traditæ dominium ad creditorem, ſed tantum naturalis poſſeſſio tranſit. *l.* 35. *in fine l.* 40. *D. d. pign. act.* Ratio autem, ob quam his & ſimilibus caſibus non tranſeat dominium, non alia eſt, quam quod fundamentum tranſlationis dominii per traditionem præcipuum eſt domini voluntas, de qua traditur; *Nihil tam conveniens eſſe naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferre ratam haberi*, §. 40. *Inſt. d. rerum diviſ. l.* 9. *§.* 3. *D. d. adq. rerum dom.* hæc vero voluntas non poteſt cadere in hominem ſanæ mentis, niſi adſit cauſſa ad dominii tranſlationem idonea, ut emptionis venditionis, permutationis, donationis, in ſolutum, in dotem, dationis *l.* 31. *d. A. R. D. d.* §. 40. Talis enim cauſſa cum adeſt, tum demum tranſire poteſt dominium; ad quod quænam requirantur jam videndum.

V. Re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

Requiſita hæc vel perſonas ſpectant, vel ipſam rem. Quod ad illas attinet, requiritur ab utraque parte voluntas; *In omnibus* enim *rebus, quæ dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium, nam ſive ea venditio, ſive donatio, ſive conductio, ſive qualibet alia cauſſa contrahendi fuit, niſi animus utriuſque conſentit, perduci ad effectum in quod inchoatur, non poteſt. l.* 55. *D. d. O. & A.* Hæc vero voluntas ut ſit in tradente, requiritur, ut ſciat rem quam tradit, eſſe ſuam; ſi enim quis rem ſuam tradiderit exiſtimans eſſe alienam, ejus forte cujus eſt tutor, curator, vel procurator, dominium non transfert, quamvis juſta ſubſit cauſſa *l.* 35. *D. d. adq. rerum dom.* Præterea uterque debet in corpus quod traditur conſentire *l.* 34. *D. d. adq. vel am. poſſ.* Neceſſe etiam eſt, ut adſit cauſſa ad transferendum dominium idonea, quales complures modo recenſui; non quidem vere, ſed ſaltem ex opinione partium. Unde ſi ego indebitum ſolverim exiſtimans me tibi debere, tuque id eadem opinione acceperis, dominium tranſlatum eſt, & res vindicari non poteſt, ſed tantum condici *l.* 54. *D. d. condict. indebiti.* Si vero quis rem tradat ex cauſſa ad adquirendum dominium idonea, alter vero accipiat tanquam ex cauſſa non idonea; V. G. tu mihi donare vis, ego autem accipio tanquam depoſitum; vel contra ſi tu mihi tradas rem cuſtodiendam, ego vero ut donatam accipio: his caſibus, quia non concurrit ab utraque parte animus transferendi & adquirendi dominii; nec id trrnsfertur *l.* 18. *§.* 1. *D. d. reb. cred.* Si vero uterque putet adeſſe cauſſam juſtam, etſi de diverſis cogitent cauſſis, res tradita fiet accipientis, v. c. nummos tibi animo donandi trado, tu ut mutuos accipis. nec ratio ejus rei obſcura eſt, quia & tradens dominium transferre; & alter id adipiſci vult *l.* 36. *D. d. adq. rer. dom.* Cum qua tamen pugnare videtur. *l.* 18. *D. d. reb. cred.* niſi hæc accipiatur de caſu, quo non tantum partes diſſenſerunt, ſed etiam ſibi invicem contradixerunt; vel dicas nummos in hac l. non fieri accipientis tanquam donatos & irrevocabiliter. Alii hic *ἀντινομίαν* ſtatuunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

Illud ſingulare eſt, quod ſi ex cauſſa venditionis res tradatur, non aliter dominium rei ad emptorem tranſeat, niſi is pretium ſolverit, vel alio modo venditori ſatisfecerit, vel venditor ipſi fidem habuerit *§. 41. Inſt. d. rer. diviſ.* ratio eſt, quia non cenſetur venditor dominium tranſtuliſſe pure, ſed ſub hac demum conditione, ſi pretium ſibi perſolutum fuerit. Quærunt etiam DD. an ſi ſimpliciter res emptori ſit tradita, fides de pretio ipſi habita cenſeatur? quod negamus, niſi aliud ex circumſtantiis liqueat *arg. d. §. 41. l. 19. D. d. contrah. empt. l. 5. §. penult. D. d. tribut. act.*

Exigitur amplius ut perſonæ habeant poteſtatem transferendi & adquirendi dominii. ergo tradens debet eſſe dominus rei; dominus enim moderator & arbiter eſt rei ſuæ *l. 21. C. mandata.* rei autem alienæ dominium transferre nemo poteſt *l. 20. D. d. A. R. D. l. 54. d. R. J.* ſed tantum efficere, ut accipiens conſequatur poſſeſſionem & uſucapiendi conditionem *§. penult. per quas perſ. cuique adq.*

Nec ſufficit quod tradens ſit dominus, ſed & opus eſt, ut liberam habeat rerum ſuarum adminiſtrandarum facultatem; qua qui carent, ut pupillus, furioſus, prodigus, accipientem non poſſunt dominum facere *§. 2. Inſt. quibus alien. licet vel non cum ſim.*

Nihil autem differt an à domino an à procuratore ejus traditio fiat *§. 42. Inſt. d. rer. diviſ. l. 9. §. 4. D. d. adq. rer. dom.* vel ſpeciali, quo nihil certius *l. 33. D. d. adq. vel amitt. poſſ. l. 37. in fine ad S. C. Trebell.* vel etiam generali, modo id adminiſtrationis ratio exigat *per l. 63. D. d. Procur. fac. l. 13. D. d. pign. act. Vid. Vinn. ad §. 42. Inſt. d. rer. diviſ.* Tutores quoque & curatores res illorum, quorum tutelam vel curam gerunt, ad alium transferre poſſunt; & quidem ſua auctoritate, modo illæ ſervando ſervari nequeant; aliter non, niſi adhibito magiſtratus decreto *l. 22. C: d. adminiſt. tut.*

Contra etiam quis per alium æque ac per ſe dominium acquirere poteſt, non tantum ſi is in ipſius ſit poteſtate, ſed etiam per miniſterium hominis liberi nulla ratione ſibi ſubjecti; ſi enim procuratori tuo res juſta ex cauſſa à domino tradita fuerit, poſſeſſio, & per eam dominium, tibi acquiritur, non tantum ſcienti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

ti, ſed etiam ignoranti, *§. penult. Inſt. per quas perſ. cuique acq. l. 13. D. d. adq. rer. dom.* modo ab initio hoc volueris & mandaveris *l. 53. d. adq. rer. dom.* etſi circumſtantias rei geſtæ ignores. Hoc ita ſi ille poſſeſſionem tuo nomine apprehenderit *l. 1. C. per quas perſ. cuique adq. l. 1. C. d. acq. & retin. poſſ.*

In re quæ traditur requiritur, ut ſit corporalis *§. 40. Inſt. d. rer. diviſ.* incorporales enim proprie non traduntur, ut ſupra diximus. Corporales autem res qualeſcumque ſint, per traditionem acquiruntur, imprimis jure novo, quo differentia rerum mancipi (quæ erant in domino Quiritario, quod non transferebatur niſi mancipatione, uſucapione vel in jure ceſſione) & nec mancipi (quæ erant in dominio bonitario, quod ſola traditione tranſibat. *Ulp. tit.* 19.) penitus ſublata eſt *l. unic. C. d. nud. jur. Quir. toll. §. 40. Inſt. d. rer. diviſ.* Non debent tamen eſſe res extra commercium, nec in totum, nec etiam extra commercium accipientis *§. 2. Inſt. d. inutil. ſtip.* nec illarum alienatio legibus vel ultimis voluntatibus interdicta eſſe *princ. Inſt. quib. alien. licet vel non. t. t. D. d. rer. eorum qui ſub tut. t. t. C. d. præd. & al. reb. min. l. 3. C. comm. de leg. cum ſimil.*

Quæritur etiam an res tradenda præciſe debeat vacua eſſe ab omni alio poſſeſſore ut dominium ejus transferatur? quod negamus; quia jura ſolam traditionem requirunt, quæ fieri poteſt, etſi alius poſſideat, modo ſine impedimento res tenenda detur alteri. exempla etiam tranſlati dominii rerum ab aliis poſſeſſarum exſtant *in l. 16. d. fund. dot.* ubi mulier fundum ab alio bona fide poſſeſſum in dotem dat, atque adeo dominium transfert *§. 14. Inſt. d. act.* ſic transferre quis poteſt dominium rei ſuæ quam fur poſſidet, ut docet *l. 10. §. 2. d. cond. furt. add. l. penult. D. d. except. rei vend. vid. Donell. 4. Comm. cap. 19.*

VI.

Reſtat ut videamus caſus, in quibus ad tranſlationem dominii non eſt neceſſaria traditio, ſine qua regulariter inter vivos dominia non tranſeunt *l. 20. C. d. pactis. l. 15. C. d. rei vind.*

Exci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

Excipiunt DD. ſi quid Eccleſiæ donatum, vel venditum ſit, ejus enim etiam ſine traditione Eccleſiam dominam fieri putant *per l. 23. C. d. S. S. Eccleſ.* quæ tamen lex id minime dicit, nec verba, *ut ſit earum perpetua vindicatio* ita captanda ſunt, ut ideo à certiſſima Juris civilis regulâ recedamus, cum non deſint exempla, ubi vindicari dicuntur res, quæ per actionem in perſonam petuntur, ut *lege 23. de legat. 3. juncta lege* 178. *§. 2. d. verb. ſign.* Ille caſus magis huc ſpectat, quando princeps aliquid donat & vult dominium in donatarium tranſire. De quo non dubitabimus, ſi ſtatuamus jure gentium non requiri præciſe traditionem ad transferendum dominium cum Grotio *lib. 2. de Jur. Bell. & Pac. cap. 6. n. 1.* qui illius neceſſitatem Juri civili adſcribit, quo Princeps eſt ſolutus *l. 31. D. d. leg.* Addunt & caſum, quo res lege commiſſoria veniit & tradita eſt, nec pretium venditori juſto tempore perſolutum, tunc enim dominium ad venditorem revertitur *l. 4. C. d. pactis inter empt. & vend.* Sed hoc caſu dominium non tam ad venditorem tranſit, quam potius numquam ab eo abiiſſe fingitur, cum vis traditionis ante factæ plane reſolvatur, *l. 1. D. d. leg. commun.* Adducunt & alias ſpecies; ſed in quibus, ſi non vera, ſaltem ficta intervenit traditio, & quas ſupra jam expoſui, ideoque manum de tabula tollo.

CO-

COROLLARIA.

I.

Ratihabitio patris poſtea ſuperveniens non facit nuptias liberorum retro legitimas.

II.

Donatio facta ab eo qui liberos non habebat, ob ſupervenientiam liberorum revocari regulariter nequit.

III.

Mandatarius præſtat culpam leviſſimam.

IV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

IV.

Dantur actiones mixtæ.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 18